

## **Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta**

Commentationibus Illustrata, Omnia Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper  
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore  
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout  
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

**Bellecius, Aloysius**

**Ratisbonae [u.a.], 1755**

§. I. Ejus necessitas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

quod est passus, ut mox iterum integraretur. Ad ejusmodi igitur collectionem rite instituendam, sequentia servient incitamenta. I. Est summa ejus necessitas. II. Maxima ejus utilitas.

## §. I.

*Sacri secessus necessitas.*

I.  
Summam  
hanc esse,  
probat  
præsens  
anima  
status.

**S**Ummam hanc esse probat præsens status animæ, nam constans illa rerum cœlestium nausea, inveteratus orationis tepor, dissipatæ mentis continua effusio, præceps ille ac vitiosus consueta per diem opera obeundi modus, frequentes illæ ac periculosa nimium tentationes, nullus aut levis admodum peccati timor; hæc sat clarè testantur, nos proxime abesse à periculo labendi in gravia; cùm excusso culpæ venialis horrore, toti cicures cum offensa DEI, in ipsis lethalis noxæ confiniis identidem lubrico pede versemur.

Præ-

Præterea tor rebelles animi motio-  
nes necdum domitæ, à quibus inepti  
reddimur exequendis, quæ DEUS de  
nobis conceperat, consiliis: tot pravi  
ac multa vetustate corroborati mores  
necdum correcti, qui nos ferreo pon-  
dere vitio mancipatos tenent: tot bo-  
na hactenus omissa, ad quæ agenda vel  
tenebamur, vel impellebamur: tot  
mala etiam in terra Sanctorum, in  
ipso Religionis cœlo, inter terrestres  
Angelos tam petulanter admissa: pru-  
dens denique ac animum justo metu  
excrucians dubium, an simus in statu  
gratiae? an omnes partes injuncti mu-  
neris etiam gravioris momenti exple-  
verimus? an illæ votorum ac regula-  
rum violationes non fuerint mortife-  
ræ? an omnia semper & rite debito  
cum dolore ac proposito simus con-  
fessi? &c. &c. Hæc certè abunde pro-  
bant, animam in majori, ac opinamur,  
non solùm vocationis perdendæ, sed  
etiam salutis amittendæ periculo ver-  
fari; adeoque summam esse necessita-  
tem, saltē per sacrum ejusmodi tri-  
duum conscientiæ stimulis responden-

di, imminentemque ruinam prævia  
morum correctione avertendi.

II.  
*Obliga-*  
*tionum*  
*neglectio.*

II. Dein ex præscripto Instituti, cui  
nomen dedimus, oporteret nos esse  
viros profundæ submissionis, ferreæ  
patientiæ, heroicæ obedientiæ, con-  
tinuæ sui afflictationis, multæ & mag-  
næ orationis; verbô: viva virtutis  
ectypa, quæ solo sui aspectu peccati  
horrorem & sanctitudinis amorem  
cunctis inspirare deberent. Et pro  
pudor! impatientes, superbi, contu-  
maces, iracundi, pietatis expertes, de-  
vota cuticulæ mancipia, appetituum  
pila, amoris proprii ludibrium sumus;  
quorum immodesti mores externis  
scandalo, domesticis offendiculo, Or-  
dini probo, Ecclesiæ dolori sunt.

Excellentia vocationis nostræ exigit  
viros, qui sibi mortui, soli DEO &  
proximis vivant: Illius augendo ho-  
nori, horum quærendæ saluti, unicè  
sine ullo ad se respectu intentos. Ve-  
rūm edicite, quid hucusque pro DEO  
egimus, tulimusque? an ullam lethar-  
iem

lem noxam impedivimus? an unam  
saltēm animam orco eruptam cœlo in-  
seruimus? quām sublimem perfectio-  
nis gradum concendimus? Ah! vi-  
vit adhuc in nobis, vivit vetus ho-  
mo, & rationi dominans vivit.

O quoties gloria divina vano ho-  
nori aut humano respectui cedere de-  
buit! quoties salus animarum levi  
commodo aut sensuum oblectationi  
postposita fuit? Fortè omnino aliis  
occasio gravioris ruinæ fuimus. Heu!  
si mors inopinata adhuc hodie nos è  
vivis sublatos Divinæ Nemesi judican-  
dos sisteret; quæ sors nostra foret?  
Vah! sola hæc cogitatio horrorem in-  
cutit. Et ausit Religiosus vel mo-  
mento vivere in eo statu, in quo nol-  
let mori? En! quām necessarium sic  
prævio aliquo secessu animæ rationes  
inire.

III. Denique non solum ob voca- III.  
tionis excelsitatem deberemus esse san- *Gratia-*  
*cti, sed etiam virtute tot adjumento-* *rum fru-*  
*rum & gratiarum tales esse possemus,* *stratio.*

& quidem facili impendio possemus. Sacra Synaxis ejus efficaciam remedium est, ut vel unica sufficiat ad magnum sanctimoniam gradum brevi tempore consequendum. Et nos, licet millies jam sacra dape refecti fuerimus, tamen navorum cœno immersi etiamnum hæremus.

Sacra exomologesis est excellens balneum, quo sordes abluantur: est coeleste balsamum, quo vulnera curen-  
tur: est potens antidotum, quo pec-  
cati virus pellatur. Et tamen post  
tam frequentes conscientia expiatio-  
nes, easdem semper labes & anima-  
plagas ad sacrum tribunal assueta for-  
mula deferimus; indeque digressi mox  
iterum patramus, quæ paulò ante vi-  
tare statuimus, non absque justo com-  
missi sacrilegii metu.

Annua S. P. N. exercitia primæ clas-  
sis adjumentum sunt obtainendæ per  
saltum sanctitatis. Et tamen hausti  
inde fructus præter rejectas quasdam  
chartas, conceptorum olim proposi-  
torum

torum nostræque ignaviæ testes,, vix  
aliud vestigium restat.

Et sic futurorum improvidi , pro-  
fectus incuriosi , obligationum nostra-  
rum oblii , divinorum instinctuum  
negligentes , in limitibus noxæ lethali-  
s menses & annos tepidi vivimus ;  
nihil solicii de æterna animæ in orbe  
altero sorte. Interim criticum illud  
gratiæ filum paulatim præscinditur ,  
lumen cœleste semper magis obtundi-  
tur , divinæ motiones sensim subtra-  
huntur , Misericordiæ viscera induran-  
tur , Justitiæ furor acceditur , mors  
minaci falce propinquat ; verbô : fors  
hoc anno adhuc divino tribunali si-  
stemur ; ubi reddenda nobis erit ra-  
tio de tam constanti tot auxiliorum ,  
talentorum , temporis & vocationis  
neglectu.

Ah ! tunc , cùm Supremus Judex  
conscientiæ nostræ librum aperiet , &  
luce quadam meridiana clariori illumi-  
nabit abscondita tenebrarum , & mani-  
festabit consilia cordium ; (a) tunc , in-

quam , illa principia & pseudo - religiosa axiomata , quibus modò nixi nosmetipos fallimus , velut ignes faturi ad candelæ mortualis fulgorem evanescunt. Tunc absterto fallaci fumo , in apricum protracta , apparebunt innumera peccata partim aliena partim occulta , de quibus nos modò nec suspicio angit , & quæ æternitatis radio illustrati pleno lumine distingue mus. Tunc cognoscemus fuisse lethalia , quæ modò amore proprio decepti inter venialia numeramus.

Quis ergo neget , summè necessarium esse , ut saltem per unum alterumve diem de componendis vitæ rationibus , de jaciendo solidæ virtutis fundamento serii cogitemus ? O Magne DEUS ! victrici lumine offusas menti tenebras potens dispelle , ut agnito animæ periculo proximum lapsui pedem in tempore referamus , eoque fervore instituendo secessui nos impendamus , quo illi vacasse sub mortem optabimus.